

No. 233. 1445. 23. Mai.

*B. Johann II. von Merseburg ertheilt denen, welche die neuerbaute und geweihte Georgencapelle in Andacht besuchen und sich gegen dieselbe, sowie gegen die Armen im Georgenhospital mildthätig erweisen, vierzigägigen Ablass.*

Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus Merseburgensis universis et singulis Christi fidelibus, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem in domino sempiternam. Splendor paternae gloriae, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur ut capella sancti Georgii martyris et beatarum Barbarae et Gerdrudis virginum ac martyrum hospitalis infirmorum ac pauperum et debiliu personarum prope opidum Lipezk nostrae diocesis per circumspectos et providos viros proconsules nec non consules et opidanos dicti opidi de novo constructa erecta et fundata cum consensu et voluntate venerabilium et religiosorum virorum praepositi, prioris et conventus monasterii sancti Thomae Lipezensis canonicorum regularium ordinis sancti Augustini ac ipsis facto sufficienti restauro, prout coram nobis vivae vocis oraculo libere fatebantur et recognoverunt, quam etiam capellam cum ipsius cimiterio ac altaribus infrascriptis hodie data praesentium consecravimus cooperante nobis gratia spiritus sancti et clementia divina, videlicet summum altare in choro dictae capellae in honore dictorum martyrum sancti Georgii ac beatarum Barbarae et Gerdrudis virginum, secundum vero altare versus austrum in honore Mariae virginis, beati Bartholomei apostoli et sancti Sebaldi confessoris, beatarum Katherinae ac undecim milium virginum et martyrum, demum tertium altare ante dictum chorum versus aquilonarem plagam in honore sanctorum Johannis baptistae et Laurentii ac Mauriti et Thebaeorum martyrum, postremo quartum altare in angulo versus cimiterium in honore sanctorum apostolorum Symonis et Judae nec non sancti Blasii martyris atque beatorum Materni et Leonhardi confessorum, ad quam capellam et altaria atque hospitale praedictum multitudo Christi fidelium propter devotionem ac ipsius novitatem atque subventionem infirmorum ac pauperum et debiliu personarum confluit, congruis honoribus frequentetur ac devotio ipsorum Christi fidelium augeatur, quodque fideles ipsi eo ferventius et libentius dictam capellam ac altaria et hospitale visitaverint et patroni dictae capellae et altarium devotius venerationem, omnibus et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus confessis et contritis, qui dictam capellam in singulis festivitibus patronorum ipsius capellae ac altarium praescriptorum et in omnibus aliis infrascriptis, videlicet nativitatis Christi, circumcisionis, epiphaniae, parasceve, coenae, resurrectionis, ascensionis, penthecostes, trinitatis, corporis Christi, purificationis beatae Mariae, annuntiationis, visitationis, assumptionis, nativitatis, Michahelis archangeli, nativitatis et decollationis sancti Johannis baptistae, omnium apostolorum et ewangelistarum, omnium sanctorum, in commemoratione animarum, in communi septimana, in rogationibus et in dictae